

logismum in secunda Figura formare hoc modo : *O. homo est animal, N. lapis est animal. Ergo, N. lapis est homo.* Quod fit sine ambagibus. Aliàs convertendo propositionem universalem negantem in aliam universalem (quod fieri posse Aristoteles docet *1. prior. cap. 2.*) & minorem conversam loco majoris ponendo fit Syllogismus in prima figura, in qua emergit conclusio conversa hoc modo : *N. animal est lapis, O. homo est animal. Ergò, N. homo est lapis.* Quam si converteris, erit talis propositio. *N. lapis est homo. Cum verò talismodi conversio propositionum in reductione ad primam figuram instituitur; soepies contingit, ut ex propositionibus naturalibus fiant propter conversionem institutam innaturales (ceu res sexcentis exemplis, si opus esset, probari posset) at vero commodius est, in aliquo Syllogismo habere propositiones naturales, quam innaturales, & consequenter commodius est, quandoque in certo quæsito argumentari in secunda vel tertia figura, quam in prima, licet consequentia in iis figuris tam perspicua atque manifesta non sit, quam in prima.*

§. XII. Ad tertium respondere non erit ire per extensam funem : nam quando Philosophus loco citato has figuras posteriores vocat ἀτελεῖς imperfectas, tunc comparat eas cum prima figura secundum evidentiam consequentiæ, quæ in ista major est. In se tamen etiam perfectæ sunt ratione sc. necessariæ illationis. Ad horum pleniorum intellectum notandum, aliud esse necessariam consequentiam, aliud evidentiam necessariæ consequentiæ. In omnibus Syllogismis cujuscunque figuræ sunt, sive directi sive indirecti, necessaria est consequentia vel conclusio, & hac ratione etiam sunt omnes perfecti, & Syllogismi secundæ & tertiæ figuræ, licet ipsi quidem, ut dictum est, necessariam habeant consequentiam, non tamen ita evidens est

est